



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. II. De Signis externis expressis consensus matrimonialis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

ti, est ponere materiam, & formam Sacramenti sine intentione administrandi illud; ut si serio ponatur ablutio, & proferatur forma baptismi sine intentione baptizandi; At in casu nostro si ponitur consensus fictus, eo ipso non ponitur materia, & forma Sacramenti matrimonii; & consequenter non simulatur administratio Sacramenti, sed solum materia, & forma, nempe verus contractus simulatur. Præterea qui administrat, verbi gratia, baptismum, certe in persona Dei baptizat; unde si fingat, sacrilegium committit contra reverentiam Deo, & Sacramentis debitam: Contra vero; Minister matrimonii non sustinet immediate personam Christi dispensantis sua merita, sed sustinet personam privatam celebrantem contractum, cui per accidens conjuncta est a Christo participatio Sacramenti; unde si metu urgente simulatur contractus, non fingit, se sacrilege dispensare merita Christi, sed solum simulatur verum contractum, quo non posito, materia, & forma Sacramenti non ponitur.

V. Addo tamen cum Perez, & Hurt. disp. 12. distic. 4., quod ratione metus gravis non liceat simulare contractum matrimoniale, quando inter contrahentes intercedit impedimentum jure naturæ dirimens, ut est impotentia perpetua, consanguinitas in primo gradu, &c. Ratio est, quia non licet simulare, quod est intrinsece malum; Exempli gratia, non licet ratione metus simulare adorationem idoli, aut juramentum de malo patrandi: Quod si impedimentum inter contrahentes sit solum impediens, ut est votum simplex castitatis, sponsalia præcedentia, &c. licitum est per metum gravem simulare contractum matrimoniale; nam non est intrinsece malum in tali casu id, quod simulatur; cum nec sponsalia obligent ad

non contrahendum cum alia, metu gravi interveniente; nec votum illud obliget ad castitatem, interveniente eodem metu; quia nemo intentionem habet obligandi se ad voti observationem cum periculo mortis, aut gravis damni. Denique si impedimentum sit dirimens jure Ecclesiastico, adhuc poterit ex gravi causa simulari contractus, ut docent Pal., & Sanch., quia Ecclesia non obligat ad non contrahendum cum tanto incommodo. Hac autem satis superque sint dicta de consensu simulato.

## ARTICULUS II.

De Signis externis expressivis consensuum matrimonialis.

I. *Quamvis Matrimonium sit Sacramentum, adhuc sine verbis celebrari potest, ut quilibet alius contractus.*

II. *Quanam soleant esse signa externa certa experimentia consensum internum?*

III. *Etiam taciturnitas potest aliquando esse certum signum interni consensus.*

IV. *Parentes neque possunt cogere filios ad matrimonium, neque illud sunt iusta causa impedire.*

V. *Filii quamvis non teneantur hac in re sequi consilium Parentum, teneantur tamen ob reverentiam debitam illud petere.*

VI. *Ut Procurator valide matrimonium contrahat pro Principali, quatuor requiruntur.*

VII. *Si Principalis tempore contractus dormiat, adhuc fructuose Sacramentum recipit, si sit in gratia.*

VIII. *Si Principalis tempore contractus per Procuratorem sit ebrius, adhuc valide contrahit. Imo juxta communioem, etiam si tunc sit amens.*

IX. *Quid si Principalis det filium mar-*  
da-



datum, & tempore contractus habeat verum consensum?

X. Si detur mandatum, ut promissis proclamationibus Procurator contrahat, adhuc universim valide contrahitur iis non promissis. Sicut valide confertur absolutio a censuris, parte non satisfacta; quamvis facultas absolvendi detur sub ea conditione.

I. **Q**uæritur primo; An ad valorem matrimonii necessaria sint verba expressiva interni consensus, saltem inter baptizatos, inter quos contractus matrimonialis est Sacramentum, quod constet rebus, & verbis?

Respondeo negative cum communi contra quosdam Jurisperitos apud Perez. Ratio est, quia etiam muti, & surdi possunt valide contrahere matrimonium, ex cap. cum apud 23. De Sponsalibus, & Matrimonii: Ergo universim non sunt necessaria verba, sed satis sunt omnia alia signa exteriora expressiva interni consensus; non secus ac in reliquis contractibus: Et ideo Eugenius IV. in Florentino expresse dixit, quod consensus per verba regulariter expressus faciat matrimonium: ergo verba non requiruntur necessario; aliter non dixisset, consensus, Regulariter, exprimi per verba. Quinimmo neque verba necessario requiruntur in valentibus loqui. Nam neque id statuit Christus Dominus, quippe qui ad rationem Sacramenti elevavit contractum legitimum; Contractus autem legitimus non requirit necessario verba: Neque id statuit Ecclesia, quamvis statuere potuisset, sicut de facto statuit matrimonium clandestinum esse irritum: Consent tamen Sanch. disp. 31., Marat., Con. Filliuc., quod sit veniale non exprimere verbis consensum internum sine iusta causa: Et Ledesm. cum Rodri-

quez apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 248. putant esse mortale. Equidem vero censeo cum Hurt., Pont., Perez disp. 15. sect. 1., nullum esse peccatum, si sufficienter aliis signis consensus internus exprimatur; cum nullum extet præceptum de verbis proferendis.

Neque dicas cum Marat., non licere in administratione Sacramentorum recedere ab usu communi, etiam in iis, de quibus non adest speciale præceptum. Nam Sacramentum Matrimonii sequitur leges contractus: ergo cum contractus licite fiat sine verbis, etiam si juxta communem usum verbis celebretur; ita Sacramentum matrimonii licite administratur sine verbis, quamvis juxta communem usum soleat verbis administrari.

II. Quæritur secundo; An subarrhatio, & traductio Sponsæ, vel porrectio manuum sint signa certa exprimentia consensum internum matrimonialem?

Respondeo cum Sanch. lib. 1. disp. 22., Rebel., Pont., & aliis, quodlibet ex iis signis, & quodcumque aliud posse esse certum signum consensus matrimonialis (non secus ac verba) si ex Regionis consuetudine introductum sit ad talem consensum significandum. Cæterum secundum se subarrhatio, seu annuli donatio, vel receptio non est signum sufficiens; quia potest fieri propter alias causas, puta inter concubinarios ob turpem amorem. Neque est signum sufficiens traductio etiam solemniter Sponsæ in donum Sponsi, quia nullo jure cautum est, ut Sponsalia transeant in matrimonium per traductionem, vel aliter, quam per copulam; idque ante Trident.: ergo nisi ex loci consuetudine traductio Sponsæ sit signum nuptiarum, non est satis ad matrimonium, etiam si coram Parocho, & testibus fiat: Contra vero porrectio manuum; Si enim



viro exprimenti consensum matrimonii, fœmina manum porrigat, signum est matrimonii certum; quia qui tacet, consentire videtur, cum agitur de obligatione contrahendi, & concurrit actus publicus; præsertim in fœminis, quæ præ verecundia aliquando non loquuntur. Quare idem dicas cum Pontio, si vir fœminæ manum apprehendens dicat: Tecum contraho matrimonium, & fœmina manum non retrahat.

III. Quæritur tertio; An taciturnitas sit sufficiens signum consensus matrimonialis in iis casibus, in quibus est sufficiens signum consensus interni constituentis Sponsalia, videlicet quando parentes contrahunt pro filiis præsentibus, & tacentibus, vel quando Tutores pro pupillis, & in aliis casibus, quos retulimus cum de Sponsal. quæst. 1. art. 4?

Respondeo affirmative cum communi apud Sanch. lib. 1. disp. 23. Ratio tamen non est, quia quæ de Sponsalibus dicuntur, extendi debent ad matrimonium; Nam cum strictior sit obligatio matrimonii, quam Sponsalium; multo plura requiruntur ad illud constituendum, quam ista; hæc enim multis de causis possunt dissolvi, ubi matrimonium est indissolubile. Ratio itaque conclusionis est, quia talis taciturnitas fundatur in quadam rationabili præsumptione consensus tacentis: Præsumitur enim, quod filius consentiat in id, quod a Parentibus, a quibus maxime diligitur, ejus gratia fit, atque adeo tam in contractu Sponsalium, quam in matrimoniali sufficiens signum consensus est taciturnitas.

Adde, quod ex regula juris in 6. *Qui tacet, consentire videtur*; quæ vera est, quando, qui tacet, tenetur non tacere, si non consentiat; filii autem si nolint consentire in matrimonium, quod pro iis præsentibus contrahunt

Parentes, tenentur reclamare, cum facile possint; aliter præsumitur, quod consentiant, ut loc. cit. de Sponsal. ostendimus.

Notandum tamen hic primo, ad valorem matrimonii filiorum nullo pacto requiri consensum Parentum, sed sufficere proprium. Ita Trident. sess. 24.

IV. Notandum secundo cum communi apud Perez disp. 17. sect. 17., non posse parentes cogere filios ad matrimonium; libere enim debent filii eligere statum vitæ; Unde etiam fit, quod peccent Parentes, si impediant matrimonium filiorum, cum sui juris sint circa status electionem. Nec Pater potest absque justa causa exheredare filiam, si contra ejus voluntatem nupsit; Nec potest Confessarius absolvere Patrem in articulo mortis, nisi revocet testamentum, ubi filiam injuste exheredavit, ut notat Dian. de immunitate Ecclesiæ tract. 2. resol. 74. In Trident. autem sess. 24. cap. 9. excommunicantur ipso facto omnes Domini temporales, & magistratus, qui quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios, cogunt, quominus libere matrimonia contrahant.

Notandum tertio ex Sanch. lib. 4. disp. 23., Vasq., Con., Hurt. disp. 7. difficult. 10., filios non teneri contrahere matrimonium, quod Parentes promiserunt, vel iis præcipiunt; dummodo Parentibus grave aliquid incommodum non sequatur, & filius aequè bene nubat, ac si nuberet cum ea, quam Parentes offerunt. Ratio est, quia filii non solum debent esse liberi circa status electionem secundum substantiam; sed etiam secundum circumstantias quodammodo ad substantiam pertinentes; ut est circumstantia Personæ, cui nubatur: durissimum enim est nubere cum ea, quæ non amatur, adeo ut aliquando præligatur non



non nubere, quam nubere cum illa.

V. Notandum ultimo, filios non solum valide, sed etiam licite posse inire matrimonium, invitis parentibus, quando ex matrimonio non sequitur illis grave incommodum. Ita Sanch. loc. cit., Con., Hurt., contra Rebel, Sot., Navar. apud Perez disp. 17. sect. 18. Hoc evincitur, tum ex libertate requisita ad matrimonium; unde nemo in hoc ab alio dependere debet; tum etiam quia cum possit Prælati per censuras coercere Patrem, qui impedit matrimonium filiorum, signum est, quod filius non peccet nubendo, invitis parentibus; Aliter Prælati patrocinarctur malitia filiorum. Peccant tamen filii, si matrimonium ineant, parentibus inconsultis; cum hoc importet gravem defectum reverentiæ, necnon contemptum, & diffidentiam ipsorum; quod valde ægre ferunt Parentes: Quare licet non teneantur sequi consilium Parentum, tenentur tamen ob reverentiam debitam illos consulere, per se loquendo, nisi timeant matrimonium injuste ab iis impediendum, aut alia adsit rationabilis causa illud occultandi.

VI. Queritur quarto; Quomodo consensus internus per Procuratorem, aut per literas, vel internuncium exprimi possit?

Respondeo cum communi, eodem modo in contractu matrimoniali, ac in aliis contractibus consensum internum exprimi posse; ita scilicet, ut Procurator exprimat nomine Principalis se contrahere.

Notandum tamen primo ex *Cap. fin. de Procurat. in 6.*, ut valide per Procuratorem matrimonium contrahatur, quatuor requiri, Primo, ut habeat ad id speciale mandatum, nam res tam gravis, a qua totius vitæ status pendet, exigit, ut specialiter exprimatur; Secundo, ut non excedat fines mandati ex leg. *Diligenter ff.*

*Pars VII.*

*Mandati*: Verbi gratia, si mandatum sit Procuratori, ut contrahat cum tanta dote, invalide contrahit cum dote minori; Tertio, ut ipse Procurator contrahat nomine Principalis, nec alium substituatur sine speciali facultate; quia censetur communiter eligi industria personæ; Quarto, ut non sit revocatum mandatum tempore contractus: Hinc si revocetur mandatum ante contractum, quamvis revocatio non pervenerit ad notitiam Procuratoris, matrimonium est nullum. Et ratio est, quia Respublica non potest supplere defectum consensus essentialiter requisiti ad valorem matrimonii; Et consequenter idem dicendum in omnibus aliis similibus contractibus, in quibus Respublica non potest defectum hujusmodi consensus supplere; ut in contractu Sponsalium, in voto per Procuratorem emisso, in excommunicatione per alium lata, & in aliis casibus adductis a Pontio cap. 15.

Notandum secundo; post Tridentinum ad valorem matrimonii requiri, ut contractus, qui per Procuratorem celebratur, fiat coram Parocho, & testibus, quibus constare debet de mandato, vel per inspectionem instrumenti, vel aliter; non tamen requiritur, ut coram Parocho, & testibus Principalis dederit mandatum Procuratori.

Notandum tertio, quod diversitas sexuum in Procuratoribus ad matrimonium contrahendum sit omnino impertinens; ut constat ex usu Ecclesiæ; unde possunt, aut duæ feminae, aut duo viri esse Procuratores ad matrimonium celebrandum.

VII. Notandum ultimo, quod si Principalis dormiat, siue sit ebrius tempore, quo Procurator ejus nomine contrahit, validus sit contractus; quia ad valorem contractus satis est, ut Principalis exerceat actum liberum tempore, quo dedit mandatum; & quod Procurator vi illius mandati li-

L

bere



bere operetur; Cum Procurator sit veluti instrumentum naturale, ac liberum, quod vi mandati operatur. Imo si sit in gratia, fructuose Sacramentum matrimonii recipit; non secus ac fructuose recipitur Sacramentum Extremæ Unctionis a dormiente sensibus destituto.

Neque dicas; Ebrui non potest tempore ebrietatis per se ipsum valide contrahere matrimonium, etiam si ante voluerit contrahere; ergo neque valide contrahit per Procuratorem.

Negatur enim consequentia; Et disparitas est, quia si contrahat tempore ebrietatis per se ipsum, externus contractus non est liber, ut requiritur; at si contrahat per Procuratorem, contractus externus Procuratoris est liber, & talis contractus externus facit unum moraliter cum consensu libero præstito a Principali, quando dedit mandatum: Sicut eleemosyna data per famulum iussu Domini facit unum moraliter cum actu libero Domini mandantis dari eleemosynam.

VIII. Dubium tamen est primo; an validum sit matrimonium contractum per Procuratorem, si tempore contractus Principalis incidat in amentiam; sicut diximus esse validum, si eo tempore dormiat, aut sit ebrui?

Affirmant communiter cum Sanch., Bonac., Henr. contra Pont. lib. 2. cap. 15., & Lug. de Sacram. disp. 8. sect. 6. Ratio est, quia satis est, ut libere mandatum dederit, & illud non revocaverit; aliter neque si dormiret, aut esset ebrui, valide contraheret.

Neque dicas cum Pontio; qui dormit, aut est ebrui, potest habere consensum liberum, non tamen qui est amens; hic enim est moraliter mortuus; unde sicut mandatum expirat morte mandantis, ita etiam expirat per amentiam mandantis, ut habetur in leg. *Si quis* 48. ff. de acquirenda hereditate.

Nam contra est, quia sicut ebrui, & dormiens possunt habere consensum liberum in sensu diviso ab ebrietate, & somno; ita etiam amens in sensu diviso ab amentia: Falsum tamen est, quod amentia aequiparetur morti; tum quia amentia non semper est perpetua, sed aliquando est ad tempus, ut ebrietas; tum etiam, quia qui est amens, est capax vinculi matrimonialis, non vero mortuus. Demum, quod mandatum expiret morte mandantis, est indubitatum; quod vero expiret per amentiam mandantis, non est universaliter verum; quamvis in speciali aliquo contractu id verum sit, ut in lege citata.

IX. Dubium est secundo; An valeat matrimonium contractum per Procuratorem, quando Principalis datur illi mandatum ficte, & deinde antequam ineatur contractus, habet verum consensum internum, seu animum contrahendi?

Affirmat Sanch. lib. 2. disp. 11. Negat tamen Con. disp. 24. dub. 9., quia contractus Procuratoris non esset effectus, nec signum consensu veri posterioris, sed esset effectus consensu ficti prioris.

X. Dubium est tertio; An valeat matrimonium contractum per Procuratorem, omisso denunciationibus, quando illi datur facultas contrahendi, servata forma Tridentini, ut semper dici solet, atque adeo præmissis denunciationibus?

Respondeo cum Sanch. loc. cit. & Perez affirmative, quia illa non est conditio, & restrictio facultatis (sicut esset restrictio facultatis, si mandasset, ne cum minori dote contraheret) sed solum est admonitio, ut servetur jus commune; Etenim nemo censetur in contractibus velle novum jus inducere: Quare cum neque jure antiquo, neque jure novo requirantur essentialiter denunciationes ad valorem



rem Sacramenti Matrimonii, sequitur, quod qui dat facultatem, ut contrahatur matrimonium præmissis denunciationibus, tantum velit admonere Procuratorem de suo debito, non tamen velit, matrimonium esse invalidum, si denunciations omittantur; Sicuti, ut dicemus loco suo, propter eandem rationem est valida, quamvis illicita, absolutio a Censuris, quæ confertur, parte nondum satisfacta, etiamsi detur facultas absolvendi, satisfacta parte.

## ARTICULUS III.

## De Consensu coacto.

- I. Num sit irritum matrimonium contractum metu levi injuste incusso?
- II. In quonam sensu voluntas dicatur cogi a metu?
- III. In utroque foro est irritum matrimonium contractum metu gravi injuste incusso ad illud extorquendum.
- IV. Probabilius jure tantum Ecclesiastico, non jure natura, illud irritatur. Votum autem universim simili metu nuncupatum, ne jure quidem Ecclesiastico est irritum.
- V. Etiam contractus lucrativus gravi metu injuste extoritur probabiliter est validus jure natura, quamvis damnus resarciri debeat. Idemque dicas de contractu oneroso; & uterque contractus ad arbitrium metum passi rescindi potest.
- VI. Probabilius videtur, quod sit validum jure natura matrimonium celebratum per metum levem injuste incussum ad illud extorquendum. Idemque dicas de Voto.
- VII. Metus reverentialis secundum se est levis; (nisi minas, aut aliud simile secum ferat) esto nonnulli putent, matrimonium sic contractum esse irritum.

VIII. Quando matrimonium est invalidum ratione metus, aut alterius impedimenti occulti, non debet revalidari coram Parocho, & testibus: secus vero si impedimentum probari potest.

I. **R**ecolenda prius sunt, quæ de metu diximus quæst. 2. de Sponsal. art. 8. quæst. 4. Primo, de metu gravi, & levi; Secundo, de juste, & injuste incusso; Tertio, de incusso ad extorquendum ipsum contractum, & de incusso ob alium finem; qui etiam potest, & juste, & injuste incuti tam ab eo, cum quo est contrahendum, quam ab alio. Diximus ulterius, nullum contractum irritari a metu levi qualitercumque incusso; Nec a metu gravi incusso a causa extrinseca, non libera, puta, a metu naufragii; Nec a metu gravi juste incusso, etiamsi ad extorquendum contractum, (ut communiter Doctores docent apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 228. quamvis Bonacvelit, solum contractum matrimonii irritari a metu gravi juste incusso ad ipsum extorquendum.) Præterea nec irritari a metu gravi injuste incusso, sed non ad extorquendum ipsum contractum. Irritari tamen contractum matrimonialem in utroque foro, dumtaxat a metu gravi injuste incusso ad ipsum extorquendum, sive ab altero contrahentium, sive a tertio incurtatur; ut omnes docent contra Cardinal.; cum debeant matrimonia esse plene libera, nec contrahi cum injuria alterius; eo quod sint insolubilia. A simili tamen metu levi injuste incusso matrimonia probabiliter non irritantur; ut communius docent Doctores apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 230. Et constat, tum ex usu Ecclesiæ non irritantis matrimonia ex metu levi contracta; tum quia metum levem jura non considerant ex leg.

L 2 Nec